

**SEMIOLOGIA
OCULI HUMANI
SPECIMEN**

INAUGURALE MEDICUM

QUOD

ANNUENTIBUS

MAGNIFICO DOMINO

PRAESIDE AC DIRECTORE,

SPECTABILI DOMINO DECANO

ET

CLARISS. DD. PROFESSORUM I. FACULTATIS
MEDICAE

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINÆ

OBTINENDO

IN ALMA, AC CELEBERRIMA

REGIA LITERARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBSERVIT

FRANCISCUS SANTNER

HUNGARUS STRIGONIENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio maiori Regiae
Universitatis die 19-a Augusti 1834.

PESTHINI,
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

Mirifice in morbis mutantur Sensus externi. Quod dum fit perspicuum est, adesse oportere magnam earum functionum infirmitatem, in quibus omnis sensus cernitur. Obliterato illo, vel saltem a aeterna naturae lege abhorrente, non potest non invaliditas nasci, et periculum eo maius impendere, quo propius ille a comuni sentiendi instrumento abest, et quo magis necessaria eius opera ad vitae salvitatem est.

Grüne r semiotice Physiol. et Pathol.

§ . Ger. § 353. .

VENERABILI
METROPOLITANO
ARCHI-CAPITULO
STRIGONIENSI
ILLUSTRISSIMIS, REVERENDISSIMIS
AC
MAGNIFICIS DOMINIS,
DOMINIS, PATRONIS
GRATIOSISSIMIS

VIRIS

PIETATE IN DEUM, ZELO IN RELIGIONEM,
FIDE IN REGEM, AMORE IN PATRIAM
SUMMIS,

ECCLESIAE DECORIS

MERITIS, HUMANITATE, BENEVOLENTIA,
MAGNANIMITATE CLARIS,
LITERARUM, LITERATORUMQUE CULTORIBUS CANDIDIS,

• • •

PARENTUM AC FRATRUM SUORUM

BENEFACTORIBUS MAXIMIS,
MAECENATIBUS MUNIFICENTISSIMIS
IN SINCERAE VENERATIONIS TESSERAM
PIETATIS MONUMENTUM

AC

PERPETUAE] GRATITUDINIS TESTIMONIUM

• • •

LABORUM LITERARIO - MEDICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

humillimus cliens.

Auctor.

Prooemium.

Non loquacis genii fluctibus raptus, nec congerie experientiae scientificae publicandae stimulatus, sed Legis Augustissimae tenore ad Doctoratus Medicinae lauream capessendam, has teneras plantulas fructus ut spero mihi laturas collegi, Tuoque Lector benevole tribunali offero.

L i t e r a t u r a .

Opera, quibus in negotio hoc perdifficili adiutus sum, sunt imprimis sequentia :

Ch. G. Gruner Semiotice Physiol. et Path. Gen. Hal. Magdeburg 1775.

Joan. Dan. Metzger, Grundsätze der allg. Semiotik und Therapie. Königsberg in Preußen. 1785.

Kurt Sprengel's Handbuch der Semiotik. Neue Aufl. Wien 1815.

Joan. Gerzso Diss. de oculis ut morborum signis. Vindobonae 1827.

Joan. Natha. Pezold de Prognosi in Febris acutis. Lipsiae 1778.

Joan. Theoph. Fabini. Doctrina de morbis oculorum. Pestini 1831.

Franc. Bene Cons. Reg. Elementa Medicinae Practicae. Pestini 1834.

I n t r o d u c t i o .

§. 1.

E semiotices, seu Doctrinae de signis status organismi abnormis ambitu, selegi nobilissimum visus organon, quod, ut gemma pretiosa in facie fulgens, ob nitidissimam suam structuram, admirabilem partium suarum subtilitatem, miramque elegantiam, ad quod formandum cuncta systemata concurrunt ad summum organisationis fastigium evecta, merito flos organisationis humanae compellatum. *) Vitam vivit propriam, altioremq; et in toto, et in singulis suis partibus, quae se manifestat organisatione et functione ei propria. Vivit et universalem, universalibus organismi legibus obtemperantem.

§. 2.

Commercium cum reliquo organismo oculus fovet multiplex, nam non tantum cum omnibus systematibus, ut mox apparebit, organice nectitur; verum et cum horum actionibus, variorumque organorum functionibus intimum fovet consensum, necessarioque actio eius vitalis per reliqui organismi actiones et functiones modificatur. Unde iam ipse scientiae medicae pater *Hypocrates* ait: Ut oculos, sic et reliquum se habere corpus.

§. 3.

Nec sunt in organismo partes, quae energiam vitalem organismi ea manifestarent certitudine ut oculi, hi namque veri animi, et corporis nostri sunt indi-

*) Fabini op. c.

ces, desideria, animi adfectus, pathemata significantes, sanitatem morbumque manifestantes; unde *Orpheus* oculum naturae speculum, solemque vitae humanae dicebat. *Linus* oculi vim tanquam fidissimam animi corporisque adfectionum interpretem aestimabat. Non itaque mirum phaenomena morbosa in oculo per decursum morborum in reliquo organismo sedem habentium obvia ad praeterita, praesentia, et futura cognoscenda summam mereri attentionem.

§. 4.

Fundantur haec in dispositione partium anatomica, structura, ac functione physiologica organi visus. Organon hocce insigni irritabilitate ac sensibilitate praeditum, insignem consensum cum reliquo Organismo alit per systema nervosum, nervi enim tanta copia ingrediuntur hoc organon, ut nervosum per *ζαρέζοχην* dici possit. — Adeunt oculos: nervus opticus, qui immediate cum cerebro cohaerens, ac in retinam expansus systema nervosum cerebrale repraesentat. Ganglion ophthalmicum seu ciliare a quinti paris ramo primo, et oculo motorio efformatum, nervos ciliares emittens, systema gangliosum refert. Nervi vero reliqui musculis prospicientes, nervis medullae spinalis quodammodo respondentem, ut oculomotorii, trigemini et abducentes cum nervo sympathico maximo nexum ineunt, oculosque in consensum, attentione dignissimum cum omnibus organis thoracis et abdominis collocant, mutationesque hic accidentes in oculis quoque manifestant. Adsunt vasa arteriosa, venosa, lymphatica copiosissima, quorum ope nexus et commercium cum reliqui Organismi systemate vasorum sustentatur. Nectuntur item oculi auxilio conjunctivae cum universo systemate cutaneo tam interno, quam externo, cum partibus omnibus membranaceis.

Horum itaque ope adfectiones Organismi totius, aut organorum eius, oculos quoque adficiant, hicque propriis, velut in speculis distinctissime expressa conspiciantur est necesse.

§. 5.

Summae esse dignitatis signa haec morborum in oculis viri in arte medendi peritissimi a divi *Hypocra-*

tis temporibus ad nostra usque, unanimi consensu magni semper fecere; haecque in oculis conspicua, reliquis certiora esse, et cum ceteris phoenomenis collata principalem locum tenere confessi sunt. Sic *Prosper Alpinus* in praesagio morbi haec principatum tenere contendit. Sic summus in arte *van Swieten*. Sic *cel. Hildenbrand* partium faciei nullam characteres magis physiognomicos prodere quam oculos. Sic immortalis mihi Moderator *Frauc. a Bene* in Elementis suis Medicinae Practicae monet: Magnam attentionem impendendam esse in organa visus, non tantum ob morbos topicos oculorum, sed quia ex visu illustratur et indoles aliorum morborum. Item: Ipsae mutationes in oculis sub uno eodemque morbo contingentes vel indolem morbi mutatam, vel stadium diversum designant.

§. 6.

Distinguendae vero sunt mutationes morbosae in oculis topicæ, ab iis, quae ut effectus et symptomata ex morbis universalibus proficiscuntur, quamvis illae ad certum vehementiae gradum evolutae totum organismum licet non semper conspicue in consensum tractum adgrediantur, adfectiones item oculorum symptomatice sub certis adjunctis frequenter in idiopathicas transmutentur. Tam illae, quam hae subinde si non vitam, saltem nobilissimum sensum, dulcissimas vitae delicias mundique externi cognitiones nobis supeditantem in summum saepe periculum coniiciunt.

Adfectionibus oculorum localibus ad Ophthalmoiatriam spectantibus, ad Semiotices forum eae solum pertinent, quae a morbis universalibus Organismi proficiscentia horum symptomata constituunt.

Verum ne haec sua careant utilitate sollicite colligenda, circumspicte inter se conferenda, in quantum fieri potest ad originem et fontem e quo manant reducenda, cum iis in reliquo Organismo occurrentibus curate combinanda sunt. Solis symptomatibus in oculis conspicuis minime fidendum, signa enim quaecumque seorsim spectata in cognoscendis et diiudicandis morbis fallere possunt. Huc illud *Gruneri* praeceptum: Quo plura signa oculi manifestant mala, et in consor-

tio aliorum perinde malorum in conspectum veniunt: eo maius periculum, eo certior mors, et vicissim.

§. 7.

In recensendis his morborum signis eum sequar ordinem; ut primo de signis subjectivis, secundo de obiectivis eo modo, ut de habitus bulbi in genere, tum in specie partium singularum, ac tandem partium ei in tutelam, praesidiumque a natura datarum phaenomenis acturus sim.

De Signis morborum subiectivis.

§. 8.

Signa subiectiva sistunt eas potentiae videndi alienationes morbosas, quas ex aegri relatione cognoscimus. Scaturiunt haec ex ipsa irritabilitate ac sensibilitate tam ipsius oculi, quam reliqui Organismi ultra normam adaucta, imminuta, abolita, aut perversa.

De Photophobia.

§. 9.

Photophobia est lucis intolerantia, dum quippe aegri lucis gradum consuetum, eo minus aliquanto intensiorem, obiectorum micantium, flammae ignis adspectum sine summis molestiis non tolerant. Locis vero tenebrososis aut crepusculi tempore visu clariori fruuntur, quae noxa Nyctalopia audit.

§. 10.

Comunissima causa huius vitii est sensibilitas oculi nimia, producta vel per adfectiones topicas, vel universales. Ad topicas spectant ophthalmiae diversae. Absentibus autem inflammationis signis, accedentibus visus illusionibus variis, scintillatione, fulguratione, imaginum lucentium serie, doloribus terebrantibus profunde in orbitis ad supercilia, ac totum encephalon extensis, amaurosis instat.

Potentia videndi aliquo tempore restricta, ut in cataracta, iisque miseris, qui ad carcerem tenebrosum damnantur, retina a suo stimulo quasi desvefacta, luci dein, ut post cataractae amotionem, miserorum e loco taetro eliberationem, restituta, photophobiam aliquo

tempore comitem habet. Id post somnum ipsimet experimur.

§. 11.

Ut Symptoma sensibilitatis universalis occurrit in morbis acutis et chronicis, huc numerosae febres validae, exanthemata acuta morbilli, scarlatina, variolae etc. Momentosissimum vero evadit hoc symptoma accedentibus et aliorum sensuum hallucinationibus, characterem quippe nervosum febris indicat.

Periculosissimum vero est nec minimum lucis gradum ferente oculo, cum capitis doloribus atrocibus, oculorum rubentium protuberantia, adpectu feroci, aliorum sensuum exaltatione, delirio, vel somnolentia incedens; gravissimae enim encephalitidis symptoma.

Post superatos morbos acutos, evacuationes nimias imprimis sanguinis, photophobia cum photopsiis symptoma debilitatis est, viribus restauratis evanescent. Raro amblyopiam, aut amaurosim relinquens. *Sprengel.* Sic nervosis dirissimae hydrophobiae comes. Sic nervosium, chronicarum hysteriasis, hypochondriasis insultuum praecursor. Sic dolorum arthriticorum maximorum, sub quibus minimam fugiunt aegri lucem. Scintillatio ac fulguratio frequens et animi deliqui nuncius.

De Diplopia.

§. 12.

Diplopia seu visus duplicatus causam habet vel in axi oculi unius ab axe alterius diversa, ita ut binii hi axes in horoptre non convenient, vel vero in sensibilitate retinae anomala.

Si objectum utroque oculo duplicatum appareat, est directio axium alienata, si vero in utroque oculo obiectum geminatum appareat sensibilitas nervi est abnormis.

In complicatione cum luscitate directio axium alienata, si non a debilitate alterutrius oculi proveniat, passim spasmus musculorum bulbi per stimulos fortiores provocatus, axis directionem mutat.

§. 15.

In morbis acutis periculum notat, facile enim systema nervosum totum afficitur, tetanus, sopores, convulsiones, aliaeque systematis nervosi affectiones sequuntur. In feбри hectica, reliquisque morbis gravioribus mortis imminētis praenuncia. *Gruner.*

In nevrosibus chronicis passim insultum iam iam instantem indicat.

Diplopia citra oculorum directionem abnormem, luscitatis itaque absentiam, a sola sensibilitate retinae proveniens minus periculosa. In statu etiam normali, ut sub ebrietate, oculi percussione, vehemēti terrore, intuitu obiectorum fulgentium, vulgaris est. Sic et in febribus ardentibus. In statu irritato abdominis, obstructionibus, doloribus intensis, ob consensualem sensibilitatis exaltationem in retina visus duplicatur.

De hebetudine visus.

§. 14.

Status oculi in sensibilitatis retinae imminutione fundatus, sub quo obiecta cuncta veluti nebula involuta, aut veluti per corneam quamdam lamellam, luce nisi intensiori cernuntur, visus hebetudo, v. obfuscatio nuncupatur. Provenit a nervi optici viribus suppressis, prostratis, exhaustisque. Ad suppressionem concludimus, si causae suppressionem inducentes praecessere manifeste, si in reliquo organismo nulla sint signa virium prostratarum, sique repente oriatur. Sic terror, sic ira vehemens frequenter ita agunt in nervos, ut visionis hebetudinem inducant. Sic agunt omnia, quae sanguinis congestionem versus encephalon adaugent, morbi acuti, orgasmus humorum abundantium, menstrua retrocessa, lochiorum, haemorrhoidum fluxus suppressus. Sic spasmi, dolores atroces antagonistico modo agere videntur, in partibus videlicet adfectis sensibilitatem exaltando nervi optici exercitium sufflaminant.

§. 15.

Ut effectum debilitatis a virium prostratione, vel

exhaustione cognoscimus e praegressis causis debilitantibus, hebetudine increcente, pupillae dilatatione, signisque actionis vitalis debilitatem definientibus. Haec videndi hebetudo in decursu morborum acutorum constans symptoma virium exhaustarum, characteris nervosi vel maligni.

Visus hebetudo increcens, in plenariam etiam abolitionem eius seu amaurosim completam transit, in qua stimulus oculo proprius lux videlicet nullam amplius sensationem excitare valet. Causae huius caecitatis eadem, quae amblyopiae seu hebetudinis, ast gradu auctae.

§. 16.

In morbis acutis amaurosis signum pessimum, in corpore vero exhausto exitiosum. Id confirmatum est iuxta *Pringle* speciatim in febribus putridis. In epilepsia, apoplexia amaurosis vel morbi vehementiae, vel mortis signum est. — Ea per graviditatem aliasque causas similes inducta minus periculosa. *Fabini*.

De perversa videndi potentia, et illusionibus variis.

§. 17.

Huc spectant phantasmata diversa quibus nulla extra oculos obiecta respondent, ut colores diversi (chropsia) maculae diversae figuratae, muscae ante oculos volitantes (scotomia) res diversa ratione mutatae (metamorphopsia) mutilatae, dimidiatae (hemio-*pia*) serpentes, orbiculi atrii etc. quorum causa frequens in retina, in suppressa, vel exhausta sensibilitate eius partiali. Utrum obscuraciones corporis vitrei, et membranae hyaloideae [id efficere possint nullae certae hucdum existunt observationes. *Sprengel*.

§. 18.

Suppressa sensibilitas retinae in locis quibusdam potest esse transitoria a consensuali affectione proveniens; ast tunc oculo in unum obiectum defixo, maculae locum mutabunt, vel clausis palpebris, aut

in loco tenebricoso disparebunt, et nisi luce maiori, adspectu obiectorum splendentium iterum comparebunt. Causae eius in abdomine, ut in hypochondriaci, haemorrhoidibus, arthritide, scrophus. Ob inaequalem sensibilitatis distributionem in visceribus abdominalibus per consensum nervis et imprimis optico communicantur.

Si oculorum situ immutato maculae huc, illucque volitent, signis affectionum praesentibus, motu corporis, cibo, potuque augeantur, coecitas minus timenda. Praegressis vero causis magis debilitantibus ut excessibus, morbis gravibus superatis, accedente macularum situ constantiore, torporis retinae partialis in totalem paralysim transitus aetate imprimis crescente merito timendus. *Sprengel.*

§. 19.

Scintillae, flammae, series imaginum integrarum absque correspondentibus obiectis externis retinae irritatione vel absoluta, per stimulos quippe fortiores, vel relativa respectu sensibilitatis adauctae proveniunt. Ad illos impetus sanguinis versus encephalon, in specie retinae membranam vasculosam, ut in febribus vehementissimis, post graves capitis laesiones, stimulos fortiores, ut galvanismum electricitatem. Ad hos vero exaltata retinae sensibilitate, ut frequenter in amaurosi incipiente obtinet, stimuli consueti, sanguinis normalis influxus. Sic et post operationem cataractae id frequenter evenire solet. Provenit phenomenon hoc a virium debilitate universali, post morbos graves, haemorrhagias profusas.

§. 20.

Sub decursu morborum acutorum characteris nervosi, aut maligni visus lucidus, accedentibus et aliorum sensuum illusionibus signum ominosum, plerumque enim deliria febrilia, aliaque symptomata nervosa gravissima innuit.

§. 21.

Visus coloratus ut sub ictero flavus, minus, ruber, quo colore omnes res visui sistuntur vitae sunt

phalitudinis, aliorumque morborum inflammatoriorum vehementium, cum congestionibus similibus incedentium symptoma, ut anginae pectoris, laryngitidis, peripneumoniae etc. sub quibus sanguinis a capite refluxus praepeditus suffocatione, vel apoplexia cito lethali minatur.

Provenit protuberantia haec in morbis pulmonum gravibus cum circuli turbis coniunctis, puta: asthma- te spasmodico, catarrho suffocativo, hydrothorace etc. In morbis his chronicis congestiones humorum ad superiora manifestat.

§. 26.

Frequenter et a vitiis localibus ut tophis syphiliticis, exostosis, hydrophthalmis, aliisque tumoribus in orbitis, obviis, morbosa bulbi protuberatio inducitur, sequelasque tristes habere, imò ipsam vitam extingvere valet. *Vid. Fabini.*

§. 27.

Contrarium situs oculorum vitium collapsus ac profunditas est. Causa vel deficiens nutritio textus cellulosi, muscutorumque, vel spasmodica constrictio est. E textus cellulosi, muscutorumque nutritionis defectu proveniens, in morbis chronicis marcoris incipientis signum praebet. Oritur e causis repente agentibus, ut sunt animi adfectus deprimentes, moeror imprimis diuturnus, excessus in venere, masturbationes, evacuationes nimiae, vigiliae in seram noctem protractae. His tamen cessantibus, recrescentibus viribus disparet.

§. 28.

Attentione dignissima est observatio medicorum tam antiquorum quam modernorum, docens post quamlibet hepatis laesionem oculos citissime collabi, in orbitam retrahi, simulque splendore suo privari.

In morbis acutis repentinus collapsus oculorum nutritionem repente imminutam, vires vitales nimium labefactatas, vel exhaustas, hinc et vitae discrimina summa designat. Sic in cholera indica. Quodsi his fa-

cies illa terribilis per Hippocratem primo adnotata *) accedat, mors portas pulsat.

§. 29.

In gravidis oculorum profunditas, facies decolor, vultus morosus, anxius, foetum male valere, et interdum vita privatum innuit. In tetano, stadio inflammatorio hydrocephali interni, affectionibus musculorum spasmodicis bulbi in orbitam retrahuntur, mortemve praesagiunt.

De magnitudine bulbi.

§. 30.

Decrementum alterutrius oculi, vel utriusque, inaequalem virium vitalium distributionem, vel disparum humorum ad oculos adfluxum portendit. In febrilibus phaenomenon hocce saepe ominosum. *Haen* sub decursu morbi verminosi observavit, causam tamen eius a spasmo repetens.

De motu oculorum.

§. 31.

Motus normalis oculorum normalem una irritabilitatem in musculis, quibus hic perficitur denotat. Sunt vero musculi bulbi nervis ut e §. 4. patet ditissimi, nexum cum partibus diversis organicum, commerciumque sustinentes. Hoc itaque adaucto vel impedito, aut alia ratione constituto ad suppressionem,

*) Cutis color luridus, terrestris, vel ex viridi pallidus, facies emaciata, cute circa frontem arida rugosa, nasus acuminatus, pinnis narium veluti compressis, sub inspiratione difficili valde mobilibus, os semiapertum, labia tenuia dentes non tegentia, tempora extenuata, auriculae frigidae contractae a capite aversae, oculi turbidi splendore orbati in orbitas profunde illapsi, sistunt imaginem faciei Hippocraticae mortis instantis praenuunciae.

vel exhaustionem actionis vitalis in motibus organicis concludere licebit.

§. 32.

Nystagmus seu spasmodicae musculorum bulbi contractiones prout modo rectos, modo obliquos sive alternatim convellunt, sive tonicis spasmiss adficiunt, inordinatas oculorum rotationes, torvumque adspectum, ubi spasticae contractiones cum impetu fiunt, efficiunt. Cum mitius convelluntur motum continuum tremulum cum adspectu inquieto causant. Contractionibus singulorum musculorum diutius durantibus oculorum distortionibus variae luscitatem quodammodo referentes conspiciuntur. Cum musculi sive recti, sive obliqui, non seorsim, verum simul tonicis spasmiss corripuntur, bulbus oculi saepe dolens, trucemque adspectum exhibens iam in orbitam retractus, iam protuberans esse solet.

Occurrit mitioribus sed continuis oculorum convulsionibus in heliophobis, in iis, qui visu imbecillo laborant, vel qui a tenera infantia cataracta adfecti sunt.

§. 33.

In aliis Organismi morbis universalibus haud infrequenter occurrit, ominosumque mortis imminenti symptomata est. *Fabini*. In morbis acutis discriminum vitae praenuncius ob viciniam cerebri. Encephalidem gravissimam, tetanum, sopores, similesque adfectiones nervosas timendas esse docet. In exhaustis cum visus hebetudine proximam mortem indigitat.

In nevrosibus chronicis epilepsia, hysteriasi, hypochondriasi aliisque ab irritamento primarum viarum proficiscentibus nunquam periculi habet, estque transitorius.

§. 34.

Oculi fixi et immobiles effectus spasmodorum tonicorum musculos bulbi corripientium adfectiones systematis nervosi denotant. In febre nervosa, adfectiones nervosas graves imminere, protrusio una vehementem ad caput congestionem, delirium, tremores, convulsionem, encephalidem, exitiumque significant.

In morbis nervorum chronicis adpectus rigidus insultus novos praecurrit, quod quam frequentissime in apoplecticis et epilepticis videre est.

De splendore bulbi ocularis.

§. 35.

Splendor oculorum energiam vitalem eorum, ac reliqui Organismi clarissime enuncians, maxime dependet a membranae pellucidae corneae nempe statu. Ea itaque, quae de splendore adlaturus sum et de cornea intelligenda veniunt. Splendor enim normalis oculorum a corneae laevitate, qui vapori seroso e vasculis kerato-coniunctivae sangviferis transudato debetur, a membranae huius pelluciditate perfecta ac convexitate dependet.

§ 36.

Splendor hic oculorum in cunctis morbis Organismum adfligentibus index certus et indubitatus energiae actionis vitalis a medicis omnis aevi adeo habitus, ut cunctis reliquis signis in corpore humano comparantibus palmam eripiat, maximumque mereatur respectum. Naturalis eius constitutio vitalitatem bene comparatam docet, mutatus ad statum normalem rediens primum et certum signum virium vitalium renascentium, exitusque morbi felicitis. Nec est periculum a virium vitalium exhaustionem timendum adparentibus etiam signis debilitatis, perstante corneae splendore.

§. 37.

Dum insolito modo augetur, nimium fulgent oculi, adpectus est fixus et quasi intentus, oculi fiunt feroces, audaces, ut in morbis energiam vitalem imprimis in systemate nervoso exaltatam praeseferentibus, ut sub paroxysmis maniae furibundae, epilepsiae, hydrophobiae. Oculi tales in encephalotide convulsiones notant, vitaeque exitium. Adpectus ferox et truculentus oculorum post laesiones capitis, commotionem cerebri, imprimis accedente pupilla valde coarctata, notat. *Sprengel.*

§. 38.

Splendor imminutus et adspectus languidus a minore motus alacritate et deficiente serosi vaporis in cornea secretionem provenit. Quibusdam hominibus est normalis ob languidam energiam vitalem, in aliis etiam post causas levissimas debilitantes, evenit, ut post vigilias, masturbacionem, veneris excessus, animi adfectus deprimentes, curas, spasmos; his tamen cesantibus mox redit.

Causis similibus absentibus, splendore normali disparente, morbi graves instant. Peculiaris oculorum langvor accessiones hypochondriacas iuxta Kämpf annunciat. Infantes obstructi, helminthiasi adfecti splendore hocce frequenter spoliuntur. In hydrope ventriculorum cerebri acuto adspectus languidus cum vultu faciei incedens singulari a *Gölis* ad symptomata pathognomonica refertur.

Mali ominis signum splendor deficiens in haemorrhagiis profusis, mortem frequenter denunciens.

§. 39.

Quo magis adspectus languidus in morbis acutis ad splendoris defectum accedit; eo maius periculum instat. Gradus maximus deperditi splendoris: fragilitas oculorum vitrea dicitur. Plenariam vasorum vaporem serosum in corneam transudantium relaxationem, humorum hic loci spissitudinem, atque maximam virium vitalium prostrationem, mortemque instantem indigitat. Sic in febribus putridis imprimis malignis constans, a *Lettsom* pro pathognomonico compellatum. Ubi vero in oculi curationis progressu hanc vitream speciem deponunt, indicium est symptomata febris putridae decrescere, oculi igitur vitrei in plurimis casibus mortem adpropingvantem praemonstrant, interdum tamen sanationis possibilitatem non adimunt, ut et mihi in clinico medico observandi non defuerat occasio. Item vide *Sprengel*, *Gerzso*, etc.

§. 40.

A splendore illo languido differt adspectus pulverulentus, in quo videntur magis puncta singularia corneae per humores coagulatos, induratos esse ob-

tecta. Signum aequè ominosum indigitans, vasorum absorbentium in organis nobilibus plenariam prostrationem. In febribus putridis, cholera indica etc. occurrens. Quandoque vero lacrymae, aliique humores secreti oculi condensantur in membranulas vel lanulas, aut corneam ipsam, aut adnatam obtegentes. Coagulatio haec aequè a prostrata vasorum absorbentium functione proveniens, in febribus cunctis in quibus se manifestat prognosis mala statuenda. Occurrit in febribus hecticis, in feбри nervosa convulsionea praenunciat.

§. 41.

In moestis quoque ac animo prostratis singularis adspectus langvor adest. Si absque causa morali adsit, magnum vitae discrimen notat. Aegri quippe sensorium commune adfectum, periculum praenunciat. Similis adspectus occurrit in feбри flava americana, peste orientali, feбри puerperali. Moestissimus denique adest in lucidis hydrophobiae intervallis, exitum utique morbi atrocissimi infaustum prtendens.

§. 42.

Huc spectat quadamtenus Ophthalmodynia seu adfectio dolorosa oculos citra omne inflammationis vestigium infestans. In febribus acutis nervosis iuxta *Danz* * periculosa. Juxta *Klein* in petechiis signum lethale.

De partibus singulis bulbi.

De conjunctiva et sclerotica.

§. 43.

Conjunctiva seu adnata composita vasis sangviferis numerosissimis et subtilissimis in statu normali fluidum quoddam serosum vehentibus, in morbis humores quoscunque transparere sinit. Color eius caerule-scenti albus a subiacente choroidea proveniens in diversos, ut rubrum, flavum, subfuscum, lividum, nigrum, aut ex his vario modo mixtum mutatur.

*) *Ug. Zeichenshre von Heinet b. Leipzig 1812.*

§. 44.

Rubor eius a sanguinis congestionē, sive is maiori feratur ad cerebrum impetu, sive refluxus eius impediatur, provenit. *Boerhaave* tanti hoc signum habuit, ut omnibus practicis microscopii usum commendaret, ut leviores etiam congestiones discernere possint.

In genere rubor hic ophthalmiam prodit. Occurrit tamen qua symptoma morborum cum congestionē ad caput incedentium. In febris scarlatinosa color conjunctivae profunde ruber est signum pathognomonicum, quo ante et post eruptionem a morbillis distingvitur, in quibus illacrymatio observatur. Post laesiones capitae etiam absque fractura rubor hic profundus cum doloribus partis laesae obtusis inflammationem meningum instantem denotat, quae saepe post 12—14 dies insequitur. Si mox post laesionem compareat, encephalidem vehementissimam indicat. Ophthalmia gravis 7 vel 11 die laesiones has insequens, mortis imminētis signum est.

In angina gangrenosa, febribus malignis cum symptomatibus debilitatis proclivitatē sanguinis ad dissolutionem, exitumque morbi iuxta *Sprengel* periculosissimum portendit. In hydrocephalo interno mortem mox secururam notat. Sub pleuroperipneumonia oculi rubro-flavi cum vultu tristi, sputis flavis nigrescentibus, fuliginosis, sanguineis, foetore, pulsibus debilissimis gangrenam iam instantem, mortemque timendam.

§. 45.

Periculosus quoque rubor conjunctivae post evacuationes nimias, vomitum vehementem. *Sprengel*. In quibusdam casibus ut prodromus epistaxis criticae. Si periodicae recurrat cum cephalaea gravi, signis debilitatis, iuxta *Torti* febrim intermittentem larvatam mentitur, quae eo periculosior, quo magis ad typum continuum accedit.

Rubor conjunctivae chronicus dispositionem ad apoplexiam notat.

§. 46.

Color conjunctivae et scleroticae caeruleus, plumbeus, rubore perniciosior, humorum resolutionem, va-

sculorum minimorum atoniam magnam significat. Aliqui gangrenam et sphacelum partium internarum augurant ex oculi livore. *Galen* encephalitidem semper tunc timendam autumat.

§. 47.

Color flavus in genere hepatis adfectionem, in specie icterum, febrim biliosam, hepatitidem declarat. Si color flavus in fuscum, vel luridum mutetur, colore faciei terrestri socio ad morbi vehementiam, ac maius vitae periculum concludendum. In pleuritide aliis quoque accedentibus, ut respiratione sonora, strepitosa, vultu demisso, oculorum caligine mors expectanda.

In morbis chronicis color flavus, vel fuscus viscerum abdominalium infarctus, indurationes, scirrhum notat.

De humore aqueo.

§. 48.

Humor hic in statu normali limpidus, perfecte pellucidus, sub variis noxis oculum infestantibus mutari, turbari, pelluciditate privari solet. Sic per sanguinis in cameras effusionem hypoaema, per puris accumulationem hypopium, per lactis ad oculum depositionem hypogala provocatur, quae visioni diverso in gradu periculosa esse solent. *Fabini*.

In organismi morbis universalibus mutari videtur tunc, dum oculi nitor, vis vitalis prostrata, mortem instare annunciant.

De iride et pupilla.

§. 49

Iris est membrana sensibilitate ac irritabilitate insigni praedita, ad actionem lucis facillime mobilis, qui motus, pupillae dilatatione, vel contractione cognoscitur. In morbis itaque iridis motus, pupillae lumen signa suppeditabunt magnae dignitatis semioticae.

Oculorum adfectiones praepriis Ophthalmiae iridis et pupillae alienationes varias inducere solent, huc eae solum pertinent, quae a morbis seu acutis,

seu chronicis provenientes, eorundem signa praeseferrunt morbosa.

§. 50.

Pupillae contractio nimia myosis dicta plerumque hypercinesiae effectus est. Post praegressas capitis laesiones, vel vehementes cerebri commotiones meningitidem, encephalitidem aut in procinctu, aut iam praesto esse notat. Sic in stadio turgescientiae, vel inflammatorio hydrocephali interni acuti myosis cum aliis signis morbum hunc perniciosum portendit. In morbis aliis acutis myosis sanguinis congestiones ad encephalon, morbique vehementiam ac periculum, convulsiones, deliria, aliasque adfectiones nervosas arguit.

E chronicis morbis luem veneream confirmatam, vel latentem in consortio reliquorum signorum designat. *Fabini.*

§. 51.

Pupilla praetermodum dilatata mydriasis dicitur, iridis mobilitatem vel sublatam, vel inertiozem redditam refert.

Mobilitas iridis inertior in individuis scrophulosis, habitu laxo praeditis, phlegmaticis occurrit, actionis vitalis in his alacritatem minorem designans.

In morbis acutis mydriasis magnum periculum, imo saepe mortem praenunciat, manifestans cerebri et totius systematis nervosi gravem adfectionem. Obvenit in morbis, quos sopitum encephalon, et systema nervosum comitatur, ut in encephalite, apoplexia, febribus putridis malignis, asphyxia, statu soporoso narcoticis inducto etc.

Post laesiones capitis mydriasis vires suppressas per extravasata significat. In raphania vires exhaustas vix amplius restituendas. In hydrocephalo interno sub stadio transudationis signum diagnosticum. *Bene.*

In morbis chronicis, in phthisi pulmonum, et alia quacunque, in chlorosi, febre pituitosa, atque omnibus debilitate virium notatis, iridis motus inertior, pupillae dilatatio, admota etiam luce perstans, signum

est pertinaciae horum morborum. Morbi etiam verminosi frequens, non tamen constans symptoma.

§. 52.

Iridis color in adfectionibus oculi topicis ut ophthalmiis quibusdam varie mutatur, ast probabile est eum in morbis quoque Organismi reliqui quandoque mutari, practici attamen contenti signis e coniunctivae bulbi colore petitis, hoc passim negligunt.

§. 53.

Sequuntur enumeranda phoenomena morborum, conspicua in partibus oculo in tutelam, praesidiumque datis.

De signis ex palpebris.

§. 54.

Palpebrae suppeditant signa morborum dignitatis semioticae haud exiguae. Fundatur id in fabrica earum tenera, mollitie, copioso textu celluloso subtili, insigni item irritabilitate ac sensibilitate; nervis enim palpebrae ditissimae nexum et consensum multiplicem cum reliquo alunt Organismo, et quam maxime cum organis abdominalibus.

De colore palpebrarum.

§. 55.

Rubor palpebrarum passim e causis topicis provenit, rarius a morbis universalibus. Acidi primarum viarum iuxta *Lentis* signum certum rubor palpebrae inferioris. Levis rubor ad canthum internum in phthisi pulmonum ulcerosa, stadium eius inflammatorium designat. Color pallidus blepharo-coniunctivae debilem aegri constitutionem, defectum cruoris, seri abundantiam, morbosque cum langvente sangvificatione incidentes, ut chlorosim, hydropem annuit.

§. 56.

Circulus plumbeus aut lividus in sanis nutritionem laesam, vigilias protractas, animi adfectus de-

primentes, excessum veneris, masturbationem semper comitatur. In feminis catamenia praedicit, comitatur, sic et suppressa aut profusa. Conceptionem item et graviditatem innuit.

In morbis afebrilibus comitatur debilitatem, cachymiam, cachexias diversas, in specie infarctus, obstructiones, helminthiasim, chlorosim, hysteriasim, hypochondriasim. In febribus durante frigore horrorem insignem, exitumque infaustum. *Gruener.*

De tumore palpebrarum.

§. 57.

Tumor palpebrarum tam in acutis, quam chronicis occurrit morbis. In morbillis, variolis dum periodus suppurationis imminet, nullum tamen periculum portendit, facie tamen reliqua collapsa signum suspectum. In feбри scarlatinosa, et frequentius ea finita, anasarcam incipientem adnunciat. *Bene.*

Tumor palpebrarum oedematosus in morbis chronicis congestiones versus encephalon notat, et in consortio aliorum signorum dispositionem ad apoplexiam prodit. Remanens, apoplexia superata, proclivitatem in paralyses indicat. Manifestat item laxitatem, cachymiam, cachexias. Post evacuationes profusas debilitatem magnam, vitae periculum summum. In febribus malignis apoplexiam, lethargum, mortem tunc praecipue, si repente increscat. Palpebris tumidis ac inflammatis cum tussi continua vehementi, nullis narcoticis lenienda, tuberculi rupturam praenunciat.

§. 58.

Tumor marginis palpebrarum durus, motum earum molestum reddens tylosis dicta, quandoque forma nodulorum durorum albidorum occurrens tylosis nodosa, diathesim scrophulosam designat, quamvis etiam in arthriticis, syphiliticis obveniat. *Fabini.* Tumores hi palpebrarum morbum imminemtem aut praesentem indicantes, decrescentes, redeunte colore normali, morbi decrementum, ac in consortio aliorum etiam signorum status normalis reversionem praenunciant.

De motu palpebrarum.

§. 59.

Abnormis motus palpebrarum vel in earum constrictione plenaria, involuntaria, vehementi, vel frequenti nictitatione, vel tremore continuo, aut defectu conniventiae situs est.

Constrictio palpebrarum vehemens et involuntaria in morbis nonnullis est vel effectus spasmodum, et affectionum nervosarum, aut vitiorum organicorum in iis occurrentium.

§. 60.

Ob nimiam sensibilitatem ac irritabilitatem blepharospasmus ophthalmiarum quarundam imprimis in subiectis scrophulosis, tenero habitu instructis, comes. In febribus item exanthematicis, nevrosibus, ut hysteriasi, hypochondriasi occurrens.

In morbis nonnullis acutis citra inflammationis vestigia signum ominosum, insequi enim solent metastases ad sensorium commune, sopor, convulsiones universales, deliria atrocissima. *Sprengel*. In epidemia Patavina hoc signo comparente neminem salvatum fuisse refert. *Aplinus*.

§. 61.

Ptosis palpebrae superioris, seu facultas hanc levandi denegata, per chronicas ophthalmias cum photophobia diutina coniunctas inducitur, in arthritide per refrigerium, non raro amauroseos comes. Frequens prodromus apoplexiae, tuncque sinistrum eventum metuere oportet, tali tempore enim in maximo vitae discrimine aeger versatur. *Fabini*. Observatur etiam in chlorosi, in qua prout omnes musculi, ita etiam oculorum relaxati sunt. *Rob, Whytt, Camper*, qua certum hydrocephali signum statuunt, bulbo simul deorsum ducto. *Gerzso*.

§. 62.

Palpebrae a se plus minusve diductae, et oculi in somno semiaperti quandoque nil mali portendunt,

et monente *de Haen* solerter inquirendum, semiapertura ne oculis dormire soleat aeger? quamvis et in his, in consortio aliorum signorum perniciosorum apparuisse *Alpinus* in propria expertus sit uxore. Interdum sub certis circumstantiis mortem praecedit, aut saltem magnum vitae discrimen designat. In hysteriasi, hypochondriasi ubi spasmi in diversis partibus locum habent, hoc signum minus periculosum. In infantibus alioquin multum sensibilibus et irritabilibus signum hoc sub dentitione difficili, vermibus, indigestione, acido primarum viarum aliisque saburris comparet, nil periculi denotans, oritur enim a leviori irritatione viscerum abdominalium ad oculos usque propagata. Nec in diarrhoeis, quae purgantibus, aut aliis causis manifestis inducuntur, vitae periculum timendum, licet enim magnam virium debilitatem manifestet, aegri attamen restaurari possunt.

§. 63.

Diductio palpebrarum in morbis acutis post evacuationes profusas, cum viribus exhaustis in conspectum veniens, gravem cerebri adfectionem, paralyses apoplexiam nervosam, et mortem in praecinctu esse denotat. Ita in stadio inflammatorio hydrocephali interni infantes oculis semiaperturae dormiunt, etsi initio statim congrua medela non feratur, morbi vi perimuntur. *Gölis.*

§. 64.

Motus palpebrarum tremulus, aut potius tremor continuus singularum fibrarum muscularium, haud infrequenter occurrit. Causam eius exaltata irritabilitas palpebrarum ac fibrarum muscularium sustinet. Obvenit in chronicis morbis ut hysteriasi, hypochondriasi, praecedit convulsiones, aliosque insultus; ut epilepsiae, prosopalgiae, vesaniae. In morbo scrophuloso, aut subiectis typum huius gerentibus, notat magnam totius organismi hypercinesiam.

In morbis acutis notat eo maius periculum, quo magis cum acuta irritabilitate simul vires vitales exhaustae fuerint. Sic in febribus acutis iuxta *Tissot* encephalitidem symptomatīcam, iuxta alios deliria atrocissima et sopores. *Gerzso.*

De alienata se - et excretionem muci meibomii.

§. 65.

Muci puriformis fluxus in gravibus oculorum adfectionibus praesens obiectum ophthalmiatriae sistit. Hic adtulisse sufficiat statum illum, sub quo mucus ex oculorum canthis crassus subflavus, pus referens copiose effluit citra ullam manifestam causam, in quo ad gonorrhoeam virulentam temere suppressam concludere licet, per quam vicario modo in oculo haec secretio comparet, prognosimque tristissimam habet, nam non tantum visum adimere, sed et oculi formam plus minus alienare solet. Similis quoque huic est, quae aequo modo vicario per suppressam podagram inducitur.

Diversa ab hac ea muci secretio est, quae sub decursu aliorum morborum e debilitate totius organismi provenit, variasque habet significationes. Sic in febrium nonnullarum acutarum sine apparens, vim vitalem labescentem, mortemque imminentem designat, Sic in febre putrida secretio muci meibomii aucta, oculos noctu conglutinans, odorem cadaverosum, aut nauseoso-dulcem spargens serius oculis habitum fuliginosum, in naribus quam maxime conspicuum concilians, summam virium debilitatem, et humorum depravationem prodit, si reliqua quoque excreta copia excedant, odoris similis, viresque vitales adhuc magis concidant, atque sitis vehemens, anxietas, deliria etc. accedant, gangrena iam adest, mors vicina pulsatur. Etiam in febre mucosa secretio haec augeatur, eius imminutio crisi salutarem, incrementum vero reliquis etiam signis auctis iuxta *Löbenstein-Löbel* mortis praenuncia est *Gerzso*.

De lacrymarum se - et excretionem vitiosa.

§. 66.

Functio haec non parvae est dignitatis semioticae, nam nervi ope lacrymalis a diviso procedentis cum toto systemate nervoso nequitur, hinc patet cur animi affectus sympathice lacrymas saepe celerrime provo-

cent; agunt hi nempe in nervos phrenicos et cardiacos cum quinto pari nervorum cerebralium iunctos, siquidem diaphragma ab iis spastice quasi adficiatur, cor dolore peculiari opprimatur; lacrymis vero profusis, diaphragmatis strictura tollitur, cordi energia restituitur, sanguinis circuitus expeditur, sensationibus illis morborum relevatis.

Idiopathicè lacrymarum secretio intenditur per ea, quae glandulam lacrymalem stimulant, uberiores sanguinis adfluxum efficiunt. Horum ratio habenda in prognosi ex lacrymis.

§. 67.

Lacrymatio oculorum cum conscientia, e physica vel morali causa melius signum, quam his absentibus. Perceptis enim adhuc doloribus, et solitis animi adfectibus ad fletum moti aegri dolores mitigantur, lacrymaeque verum naturae beneficium! Summus doloris sensus lacrymationem supprimit.

§. 68.

Fluxus lacrymarum absque conscientia in plurimis morbis acutis signum nimis adfecti systematis nervosi, summaeque debilitatis est, ut plurimum deliria, sopores aliaeque symptomata nervosa insequuntur. In nervosis chronicis uti sub paroxismo hysteriasis, hypochondriasis, melancholiae oculi illacrymantur, adfectionem systematis nervosi denotantes, est haud periculosam. Inde etiam in infantibus, mulieribus phenomenon hoc sine memorabili quodam omne, ob maiorem sensibilitatem in conspectum venit.

Secretio lacrymarum uberior etiam per stimulos locales, congestiones sanguinis ad caput, producitur. In plurimis ophthalmiis uberior hic fluxus oritur. Cum aliis signis epistaxim praedicit, congestiones similes in febribus exanthematicis ut morbillis illacrymationem excitant, sic in encephalitide, apoplexia sanguinea, angina, ominis tamen in his periculosioris. Periculosa fit haec congestio debilitate virium universali sustentata; sic in febre scarlatinosa maligna, angina gangrenosa, in quibus oculi veluti aquis innatare videntur, pessimum prognoseos signum.

§. 69.

Cohibita lacrymarum secretio, siccitate molesta bulbum ocularem adficiens in encephalitide summum gradum adtingente, et quam maxime cum lingua simul arida adesse consuevit. Siccitate diutius perdurante oculi pulverulenti, et squallidi evadunt, imprimis aegris iam insensibilibus, hebetibus palpebris apertis, vix amplius vel rarissime conniventibus pulvere obvolitante deturpantur, luctuosam iuxta *Scieten* instantis iam mortis imaginem exhibentes, visu iam abolito aegros conclamatos. *Gerzso*. Obvenit hoc frequenter in febribus malignis, peripneumonia, diaphragmitide norvosis et putridis.

De caruncula lacrymali et plica semilunari.

§. 70.

Hae partes in statu normali subrubrae, in morbis aut magis rubent tumentque; ut instante cephalaea, apoplexia imprimis sangvinea, epistaxi vertigine morbis inflammatoriis, aut pallidiores evadunt, vel a vasorum sangviferorum spastica constrictione, aut sangvinis qualitate perversa ut in cachexiis.

§. 71.

Partium reliquarum ut systematis lenticularis, humoris vitrei adfectiones vix ulla suppeditant signa morborum, verum ipsa morbos proprios constituunt.

Haec pro tenuitate virium mearum, temporisque brevitate collecta, si fors scopo minus responderent,
Etiam non assecutis voluisse abunde pulchrum atque magnificum sit.

Plinius in Hist. Nat. Praef.

T h e s e s.

1) Actio narcoticorum nec omnium una, nec uno eodemque explicari potest modo.

2) Non datur relatio opposita Naturae et Artis, verum potius Naturae ac Scientiae humanae.

3) Datur compenetratio substantiarum chemica.

4) Ophthalmia Aegyptiaca iam cum, iam sine contagio incedit.

5) Falsa et erronea est opinio ophthalmias specificas solummodo pro symptomate latentis morbi universalis habens.

6) Theoriae medicorum diversae, saepe contrariae conciliari possunt.

7) Medicinae perfectio Religionis Ministris multum in acceptis refert.

8) In Medici circumspecti manu non datur venenum.

9) Inflammationis processus natura sua semper idem, per variam textuum organicorum naturam diversemode modificatur.

10) Morbi hominibus coaevi.

11) Quo therapia simplicior, eo melior.

12) Corpora amorpha non dantur,

